

05

A

619

1
FORTUNANTE DEO!
DE
CONCILIO
NICÆNO I.

DISSERTATIO HISTORICA
POSTERIOR.

Quam
In Illustri ad Albim Academia
Publico Eruditorum Examine
sistunt
PRÆSES
M. ARNOLDUS PASCHE,
Rostochienfis.

&
RESPONDENS
JOHANNES FRIDERICUS Buxche/
Budisa-Luf:
HORIS MATUT:

IN AUDIT. MINORI,
Ad. d. VIII. Septembris, Anno 1677.




WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.



05 A 619

I. N. 7.

s I.



Concilij Nicæni I. causis plerisque, loci ac temporis circumstantiis, itemque normâ, in priori Dissertatione consideratis, *Materia circa quam s. Objectum, ipsaque Acta* ejus nunc perpendenda sunt. Antequam autem id aggrediar, prius quædam, paulò ante præstitutum ab Imperatore Concilio diem gesta enumerabo: ubi primò locò quidem notanda historia, à *Sozom.* I. H. E. 16. descripta his verbis: *Multi ex*

numerò Sacerdotum, (quos Baron : Annal: T. III. ad A. C. 325. §. 41. dicit fuisse Arianos, quod' religio esset Catholicos, judiciò Episcoporum prætermisso, Secularem adversus Antistites potestatem implorare; quam tamen rationem nullam esse, ex rebus, ante, in & post Concilium gestis quivis videt] qui (ut evenire solet) tanquam ad causas suas ac privatas disceptandas in unum convenerant, tempus opportunum sibi jam oblatum putarunt, & ad res corrigendas, quæ ipsorum animos offendissent. Itaq; singuli libellum de criminibus, quæ aliis objicerent, Imperatori offerre, & peccata in se admissa jam antè exponere cœperunt. Cùm autem istud in dies ferè singulos accideret, dat mandatum Imperator, ut singuli crimina, quæ aliis objicere constituerant, ad certum diem proponerent. Ubi dictus dies venit, Imperator, oblatis sibi libellis acceptis; Iste, inquit, criminationes tempus quidem sibi præstitutum habent, diem videlicet magni judicii, Judicem autem, qui sit tum de omnibus sententiam pronunciaturus, mihi verò non est fas, cùm homo sim, ejusmo-

A 2

di cau-

de causarum cognitionem arrogare, præsertim cum & qui accusant, & qui accusantur, Sacerdotes sint. Nam non deberent se tales præbere, ut ab altero judicentur. Age igitur, deletis criminibus, exemplum divina clementia in dandâ veniâ imitati, jungamq; amicitie federa, & fidei negotia, quæ nos in hunc locum convenire compulerunt, serio pertractemus. Hac habitâ Oratione Imperator jubet tum criminationes illatas nullius momenti esse, tum libellos comburi: diemq; præstituit, ad quem de rebus fidei vocatis in controversiam decideretur. Habet & hanc narrationem Ruff. I. H. E. 2. Socr. I. H. E. 5. & Theod. I. H. E. 11. qui & alia Constantini verba adducit, remque ita narrat ac si post Synodum gesta fuisset, quam tamen ante eam peractam fuisse priores citati testantur & verosimillimum est. Placuit autem eam adducere, cum inde elucescat Imperatoris tanquam Concilii Præsidis autoritas & potestas circa res & Personas Ecclesiasticas; de causis siquidem Episcoporum judicavit, dum libellos supplices & accusatorios combussit, remq; feliciter expedivit; Verbis autem illis, quæ ad Episcopos protulit, sibi non ademit jus & potestatem de illorum causis judicandi, quam reverà hoc loco exercuit, & in Athanasii, Eusebii & aliorum Episcoporum negotiis testatam dedit, quæ ipse cognovit & quid de iis fieri vellet, decrevit, sed rixarum intricatam rationem, temporis ac loci de iis prolixè agendi importunitatem, & Sacerdotum munus illis ostendere voluit.

S. II. Notandæ quoque sunt hæc locò duæ de Philosophis Gentilibus narrationes: quarum altera est, quod isti erga plerosque Episcopos in disputando se exercuerint, (non ut veritatem indagarent, sed sese ostentarent, Christianosq; illuderent) Laicus verò quidam ex Confessorum numero, simplici ac sincerò animò præditus, Christum, inquit, & Apostolos artem differendi nobis non tradidisse, neq; inanes fallacias, sed mentem apertâ ac simplicem, quæ fide & bonis operibus integra servari solet: non sine divinâ virtute disputationibus finem imposuerit, & tumultum ex iis concitatum omnium cum consensu & admiratione penitus represserit: ut videre est ap: Socr. I. H. E. 5. Altera verò est, quod, cum quidâ ex Ethnicis sese inaniter jactaret, & Sacerdotes, quibuscum acriter disputabat, petulanter irrideret, Senex quidam simplex ex Confess.

Confessorum numero, ineptæ subtilitatis & præstigiæ penitus
expers [quem Martyrol. Rom. 19. Kal. Iun. Spiridionem dicit] ad
eum dixit: *In nomine Jesu Christi, Philopse, audito: Unus est*
DEUS, cæli & terræ, & omnium rerum, tam oculis subjectarum,
quàm eorum aciem fugientium Opifex: qui hæc omnia & virtute
verbi fabricatus est, & sacramento Spiritus S. afflatu stabilivit,
Quare hic sermo, quem nos Filium DEI nuncupamus, misertus hu-
mani erroris & belluina vivendi rationis, ex Virgine nasci, cum ho-
minibus unâ versari, proq. iis mortem oppetere voluit. Est quoq. iterum
venturus, de ijs rebus quas quisq. gesserit in vitâ, dicturus sententiam.
Ista ita se habere sine ullâ aliâ curiosâ indagatione pro certò credimus
&c. Quibz obstupefactz Philosophus, confusus ac conversus fuit. Se
enim credere dixit, gratias illi, qui eum devicisset, egit, aliosq. ad
Christianam Religionem amplectendam adhortatus est, asserens,
virtutem processisse ex ore dicentis & verba ejus virtuti non posse
resistere, nec hominem adversari DEO, se siquidem non sine Di-
vino Numine mutatum & vi atq. virtute inexplicabili ad Christi-
anam religionem conversum esse. Vid. *Sozom. l. 17. Ruff. l. 3.*

§. III. Cum verò dies constitutus ad res in controversiam
vocatas dirimendas adveniret, Ministri Ecclesiæ congregati in au-
lâ Imperatorii palatii, in cujus utroque latere ordine sedes erant
dispositæ, præsentem, sedem, quæ quemq. decebat, ceperunt. *Euseb.*
III. de V. C. 10. Theod. l. 7. Sozom. l. 18. de cujus sessionis modo
vid. sententia Baronii l. c. §. 59. eaq. discussa à B. Dorschi
in Pentad: Diss. XIV. §. 4. 8. Conventu autem Ministrorum
DEI ordine collocatò, Imperator, non armatis Militibus stipatus,
sed paucis cum amicis Christianis, illos accessit: cujus corporis ac
animi dotes *Eusebius l. c.* depingit. Ad summum locum verò ve-
niens non prius in sellâ quâdam parvâ ex aurò fabricatâ, quàm
Episcopi ad id innuissent, assedit, illisque, ut idem facerent omnes,
mandavit: (ex quo singularis ejus erga Episcopos modestia & re-
verentia perspicitur) vid. *Euseb. l. c. Theod. l. c. Socr. l. 5. Sozom.*
l. 18.

§. IV. Postquàm omnes in suis locis consedissent, Episcopi
quidam, primum ab Imperatoris dexterâ locum nactus, illum bre-
vi oratione compellavit, laudibus, quòd Ecclesiæ curam gereret

veritatisq; inquisitionem institui curaret, extulit, ac DEO cum
 devotâ ejus auxilii imploratione gratias egit. *Euseb.* III. 11.
 Quisnam ille Episcopus fuerit dubium est: *Theod.* I. 7. Eustathium
 Antiochenum Episcopum nominat. Mopsvæstias, referente
 Nicetâ Choniate in Thesauro de orthod. fide lib. V. c. 7. Alexan-
 dro Alexandrino Episcopo eam attribuit orationem. Eusebio
 Pamphili Casariensi Episcopo eam adscribit *Sozom.* I. 18. & Inscr-
 ptio capitis II. lib. III. de V. C. *Cassiod. Hist. Trip.* I. 5. Theodore-
 tum & Sozomenum forsân conciliare conatus, Eustathium primò
 deinde Eusebium perorasse putat. Sed unius tantum orationis
 mentionem Citati faciunt. *Baron.* Eusebii hostis infensissimus I. c.
 §. 54. dicit, Eusebium nomen Eustathii ex invidiâ, quia hic in sede
 Antiochenâ illi erat prælatus, reticuisse, & Sozomenum, arbitratum
 Eusebium modestiæ causâ se non nominasse, parum mores Eusebii
 perspectos habuisse videri, qui nullam omiserit occasionem hono-
 rificè de se dicendi. *Hankius* verò de *Byz. Rerum Script. grecis. part.*
 I. c. 1. §. 93. in eam sententiam inclinât, qui Eusebium illum fuisse
 dicunt, putatq; singularem & eruditionem & eloquentiam ei
 honores & primario loco sedentis & primâ oratione Deo ac Impe-
 ratori gratias agentis comparasse; hinc adducit quoq; lib. I. de V.
 C. c. 1. ubi Eusebius, se *Constantinum, cum viginti annos regnasset,*
amplo Ministrorum DEI confessu stipatum, divinis laudibus ad cæ-
lum extulisse testatur. hicque ab Eusebiò intelligi orationem in
 Concilio habitam dicit: Quod tamen pro certo asserere non au-
 deo, cum & post Concilium, adeoq; annum vigesimum completum,
 quò tempore Vicennalia Constantinus M. celebrabat, Ministrorū
 DEI, quos convivio excepit, confessu stipatus fuerit. Post hanc au-
 tem orationem Imperator quoq; linguâ latinâ, [cujus rei ineptam
 rationem dat *Baron.* I. c. §. 60] licet græcæ non ignarus, ad Conci-
 lium, de ejus ab ipso factâ convocatione, dissensionis à Diabolo
 excitatæ acerbitate, Controversiarum Sacrarum ex S-Scripturâ de-
 cisione, concordie sectatione, pium sermonem habuit. de quò
 vid. *Euseb.* III. 12. *Sozom.* I. 18. *Theod.* I. 7. quo absoluto, præsentibus
 potestatem de reb9 propositis disputandi & disquirendi concessit,
 & quod in eò commendat *Ambros.* Ep. 32. libera in omnib9 voluit
 esse de fide differentium suffragia. quid autem ipse tanquam Præ-
 ses sum.

Ses summus, ad veritatem cælestem indagandam, in Concilio egerit, in præced. Disp. §. VII. expositum est.

§. V. Nunc porro *Materia, circa quam* Concilium fuit occupatum, & quæ de illâ *acta* ac decreta sunt, consideranda ac evolvenda veniunt; ubi primò locò occurrit Arii Hæresis, de cujus ortu supra disputatum fuit, jam ipsa dogmata proponenda sunt: & quanquam Arius ejusq; Sequaces plurima Christianæ doctrinæ capita impiis ac blasphemis suis commentis conspurcaverunt, primum tamen dogma & fons quasi, ex quo cetera promanarunt, fuit, Filium DEI non esse verum ac æternum DEUM, id quod ex blasphemis eorum verbis constat. Sic enim ipse Arius in Epist. ad Euseb. Nicomediens. ap. Theod. I. 5. dicit, *Filium, antequam gigneretur, aut conderetur, aut præfinitur, aut fundaretur, non fuisse, eum principium habere, & ex nihilo constare, & in Thaliâ ap. Athanas. Orat. II. adv: Arian: Non semper DEum fuisse Patrem, sed fuisse, quando DEus solum erat, & Pater nondum erat, posterius autem factum esse Patrem: non semper fuisse Filium, ipsum quoque DEI verbum ex non entibus factum esse; Fuisse (sc: tempus) quando non erat (sc. Filius) neq; fuisse antequam fieret, sed exordium, ut crearetur, ipsum habuisse.* Alexander Alex: Episc. Ariano- rum sententiam in Epist. ad omnes Eccl: Ministros ap. Socr. I. 3. his exprimit verbis: *Quenam Isti contra Scripturas excogitarint, temereq; effutiverint, sic accipitote: DEum non semper Patrem fuisse, sed tempus aliquando extitisse, cum DEus non erat Pater; non ab æternò DEI Verbum fuisse, sed ex nihilo ortum esse. nam DEum, qui est, eum, cum non erat, ex eo, quod non est, procreasse, & propterea tempus fuisse aliquando, cum non esset. Creatum enim & factum esse Filium, neq; essentiâ Patri similem, neq; naturâ verum patris Sermone, neq; veram ejus sapientiam esse, sed per abusionem verbum & sapientiam dici. Ipsum factum esse propriò DEI verbò, & sapientiâ, quæ in DEO est, per quam tum cetera omnia, tum illum ipsum fecit DEus; & ob eam causam naturâ suâ posse converti & mutari, sicut animantia omnia ratione utentia: Verbum esse peregrinum, alienum & se junctum à sapientiâ DEI: Patrem à Filio minimè explicari posse. nam Filium neq; Patrem plenè & accuratè cognoscere neq; exquisitè cernere posse. Etenim suam ipsius essentiâ, ut est, Filium non*
perci.

percipere: quippe Filium nostrâ causâ factum esse, ut DEUS per ipsum tanquam per instrumentum nos crearet, neque existisse aliquando, nisi DEUS nos creare in animum induxisset. Vid: & Epist. Alex. ad Alexandrum Constantinop. Episcopum ap: Theod. I. 4. Ex his satis patet blasphemâ Arii hæresis; nempe, Christum non esse verum DEUM, & Patri coæterum ac consubstantialem, sed Filium DEI adoptivum & Creaturam &c. ex quo spontè sequitur, & Spiritum S. secundum illos esse Creaturam. Hinc & de cultu & adoratione solius veri DEI, de Creatione, de Sacramentis, de Incarnatione, multisque aliis fidei capitibus miseri errores profluxerunt. Doctrinam autem suam & S. Scripturæ dictis & Patrum testimoniis, & rationibus probare conati fuerunt.

§. VI. De hac Arii hæresi quid Constantinus, ab Eusebiô Nicomediensi, omnium Arianorum facilè Principe, tunc cùm Nicomediæ ageret, l. etiam aliis corruptus initio senserit, ex ejus Epistolâ [quam Baron: §. 95. ad A. C. 318. parùm fideliter ab Eusebiô Cæsariensi Arianò homine descriptam, Vitæque Constantini, quâ in gratiam Constantii Augusti pariter Ariani conscripsit, additam frustra dicit] ad Arium & Alexandrum per Ollium missâ ap. Euseb. II. 63-70. Socr. I. 4. constat: in quâ quæstionem istam inter illos asserit esse *valde exilem & neutiquam tantâ contentione dignam: inanem quandam quæstionis particulam, qualem nulla lex canonve Ecclesiasticus necessario præscribit, sed inanis dissoluti otij cœratio proponit: & porro: neq; de summò, inquit, in ss. literis præceptò illis ansam ad digladiandum oblatam esse, neq; novum ullum de religione divinâ introductum errorem, sed unam eandem eos tenere de fide sententiam, ita ut facilè possint ad ipsum communionis consensum venire, cùm sit quæstio minimi momenti, minimèq; necessaria, quæ nullam rem gravem in nostræ religionis quasi ambitu comprehensam attingit. &c.* Verùm postquam Imperator percepit, quàm blasphemâ Arii sit sententia, quantaque ad absurda ducat, aliter de illâ loquitur. In Epistoiâ siquidem ad Eccles. Alex: ap. Socr. I. 6. dicit, *Arium, vi ac fraude diabolicâ vitum, à verâ fide penitus de-scivisse, & impid animi impulsione incitatum hanc erroris labem sparsisse, tanta execrabilia probra in venerandum nostrum Servatorem, in spem & vitam nostram jecisse.* Hinc & ejus hæresin omnib; modis

modis extinguere laboravit, ejus libros comburendos Arianosque Porphyrianos appellandos esse censuit, in epist. ad Episc. & Pop. ap. *Socr.* I. c. & tragicò Arii interitu, quò fidem Nicæni Concilii autoritate & nutu divino confirmatam asseruit, latatus est. *Socr.* I. 25. Minimè ergo Arianus, ut *Zuvicker Nov. Conf.* p. 322. & *Fin. Conf.* p. 255. *Sandius* I. II. *Nucl. Hist.* p. 7. 58. sq. volunt, fuit.

§. VII. De hac Hæresi primò loco in Concilio Nicæno actū fuit; Arianorum siquidem fidei formula, Concilio proposita, ut primùm perlecta fuit, quia omnes eam adulterinam asseriebant, illicò discerpta fuit. *Theod.* I. 7. idem de Eusebii Nicom: nefariis literis asserit Eustathius ap. *Theod.* I. 8. Arii scripta quoque lecta fuisset, testatur *Athan. Orat.* I. *adv. Arian.* p. 124. Utriusque verò partis accerrima contentio facta, multa ex utrâq; parte proposita, rationes diligenter examinatae, sententiæ inter se collatae, eaq; quæ cum DEI, Summi Concilii Præsidis, verbo exactè congruebant, servatae fuerunt. Frustrà hic calumniatur *Zuvick, Nov. Conf.* p. 317. seqq. *Fin. Conf.* p. 170. 181. Concilium nihil contra Arium probasse, imò ne audivisse quidem, sed, Arianos contradicentes statim anathemate percussisse & *Sandius* I. II. p. 20. Concilium non audivisse Arii sententiam, multò minùs rationes ejus expendisse. Nam jam antè diem ab Imperatore constitutum Episcopi Arium accersiverunt; de ejus opinionibus inter se differuerunt, accuratèque in ea, quæ ab ipso fuerant proposita, inquisiverunt, caveruntque sedulò, ne in alterutram partem sententiam temerè pronunciarent: teste *Sozom.* I. 16. 18. & *Ruffinus* I. 5. dicit, *per singulos dies agitabantur conventus, nec temerè de eâre statuere audebant, evocabatur Arius frequenter in Concilium, & assiduò tractatu assertiones ejus discutiebantur, & quid adversum hæc teneri deberet aut statui, summâ cum libratione querebatur*, Episcopos in Concilio placidè & humaniter ab Arianis postulasse, ut dictorum suorum rationes redderent, & se non impios esse demonstrarent, *Athan. de decret. Syn. Nic. contra her. Arian.* p. 402. asserit. Acta etiâ Concilii Alexandrini contra Arianos, quæ hoc in Concilio examinata sunt, teste Juliò in ep: ap. *Athan. Apol.* II. p. 576. idem probant. sunt & notanda verba *Socratis* I. 6. post Epist. Imperatoris ad Alex. Eccl. cum dicit, *Imperator significavit,*

illam

illam de fide decisionem non temerè & fortuito factam esse, sed, per magnâ diligentiam in veritate indagandâ expendendâq; adhibita, Concilium eam edidisse, neq; quedâ oratione explicata esse, alia silentio preterita: sed quæcunque ad doctrinam fidei confirmandam dictu videbantur necessaria, omnia fuisse in medium adducta: neq; inconsulto esse antè definita, quàm accuratâ inquisitione excussa fuissent, uq; adeo, uti omnia, quæ vel controversiæ vel discordia materiam suppeditare putabantur, prorsus è medio tollerentur. Vid. & Ep. Athanasii ad African: Ariani autem quia nolebant disertè quæ sentiebant profiteri, sed Scripturæ S. voces ac phrasas subdolâ interpretatione eludebant & detorquebant in alienû sensum, seq; cû Orthodoxis consentire simulabant, ut eò melius simpliciorib; imponere possent, sicut videre est ap: Athan. I. c. Episcopi, impietate, astutiâ ac fraudulentò illorû conatu exploratè perspectò, ad eorû fraudes faciliùs & feliciùs detegendas & refellendas, Christi verò Deitatè clarè exprimendam, Filium patri *ὁμοῦσιον* dixerunt, quam vocè Ambros. I. 3. c. ult. de fide ad Gratian: ab Eusebio Nicom: suppeditatam fuisse dicit. Ariani verò, quin & alii, eam rejiciebant, quia in Sacris literis non inveniatur, obscura & ambigua sit, scandalum pariat, hæresinq; sapiat. Eusebius etiam Cæsariensis initio hæsitabat, post verò, accuratiùs vocem illam expendens, eam approbabat. de quò Vid. Socr. I. 20. Athan. in Epistolâ citatâ, ex quâ quedam sunt ap. Theod: I. 8. quam tamen cum Scripturâ S. optimè convenire, quoad rem in eâ contineri, in aliorû Patrum scriptis inveniri, docet Athanas. I. c. It. de Decret. Syn. Nic. contra Arian. It. Epist. de Synodis Arim & Seleuc: Hilarius de Synodis fidei Catholicæ adv. Arian. It. contra Constantium. aliiq;.

§ VIII. Cû Patres Nicæni vocabulo *ὁμοῦσιον* Adversariorû effugia & latebras obstrui viderent illud quoq; fidei formulæ, contra Arianam hæresin conceptæ, quæ Symbolum Nicænum dicitur, necessitate quadam adducti, inseruerunt. Hujus Symboli Autor summus ac primarius fuit Spiritus S. qui illud mediante verbò suò electis suis organis inspiravit; Secundarium ac subordinatum ejus Architectum imprimis fuisse Osiū Baron A. C. 325 § 73. ex Athanasii Epist. ad Solit. T. I. p. 648. It. D. Schmid. de Aug. Conf. § II. p. II. colligunt. Josephus Presbyter Ægyptius autem, Præfat. Conc

Conc. Arab. citante Seldenio Comment: in Orig. Eccles. p. 71. Episcopum Hierosolymitanum (Macarium) fidem Nic. descripsisse dicit. Recitat Symbolum Socr. I. s. his verbis: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium Creatorem: & in unum Dominum Jesum Christum, Filium DEI, genitum ex Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, DEum de DEO, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt, & que in celo & que in terrâ sunt: qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, incarnatus est, homo factus est, passus est, resurrexit tertiâ die, ascendit ad celos, venturus est judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum.* Anathema ei adjunctum hoc est: *Qui verò dicunt, quod erat aliquando tempus cum non esset, antequam genitus erat, non erat, vel quod ex nihilo ortus est, vel quod ex alterâ essentia substantiâve quàm ex Patris genitus: vel quod Filius DEI creatus, quodq; converti & mutari potest, illis Catholica & Apostolica DEI Ecclesia anathema denunciât. Habet illud & Russ. I. 6. Theod. I. 12. Athanas. Epist. ad Jovian. T. I. p. 399. Hilar. de Synodis fidei Cathol. contra Arian. p. 332. Diversimodè autem hoc Symbolum tam in græcâ lingvâ quàm in translationibus scriptum esse, Vid. Dorsch. ad Diatypos. Gelas. Sect. II. §. 6. De iis, quæ illi apposita sunt in Concilio Constantinopolitano, videatur Vossius Disf. III. de tribus Symb. §. VIII-XIV. p. 63. seqq. de additione quoq; τὸ Filioq; Idem §. XV - XXXI. p. 66. seqq. it. B. Dorsch. de Conseq. Aug. Conf. Prefat. §. 7. p. 4. quod Symbolum ita extensum vocatur & Constantinopolitanum, item Nicæno Constantinopolitanum; retinuit tamen & nomen Nicæni absolutè, cum major sit Concilii Nicæni autoritas, & utrumque Symbolum pro unô habeatur: quicquid enim in Nicæno est, id iisdem verbis in Constantinopolitano habetur, & quicquid illi Constantinopolitana Synodus majoris claritatis adjecit, id virtute eidem inest, ut Voss. I. c. §. VI. dicit. quanta verò Symboli Nicæni fuerit apud Orthodoxos autoritas, ex Epistolâ Concilii Arimin: ad Constantium ap. Socr. II. 29. constat, cum dicit: *Absurdum imò nefas certè videbatur, quicquam commutare in illis, quæ rectè verèq; definita essent, quæque fuissent ab omnibus in Concilio Nicæno, cui Patris Constantini Imperatoris Illustrissimi subsidio, accuratè, exquisita excusaque. Cui fidei profectò aliquid adjicere tutum*
*B 2 non est.**

non est, & ab eâ quicquam detrahere periculofum. Et post: Eô (sc. Constantinô) jam post acceptum Baptismum (se Nicomedia) vitâ defuncto, & ad tranquillitatem sibi debitam profectô, aliquid in eâ novare, & tot Sanctos Confesores ac Martyres, qui hujus Doctrinæ Autores Inventoresq; fuerunt, prorsus contemnere, absurdum planè videtur.

§. IX. Quid porro de Ariô & Scriptis Arianis Constantinus edixerit, tradit Sozom. l. 20. his verbis: Imperator non solum Arium exilio multavit, sed etiam Episcopis omnibus & populis edictum scriptum misit, ut tum illum, tum ejus opinionis Fautores impiorum numero ducerent, & si qui liber reperiretur ab illis scriptus, in ignem conjicerent, quò neque ipsius, neque opinionis, cujus Autor fuerat, ullum monumentum extaret: quod si quis aliquem librum ejus occultare deprehenderetur, ac non illico in publicum productum incenderet, ut capitis multaretur supplicio. Varias quoq; Epistolas, quibus Arium & ejus Fautores damnabat, & in Concilio acta aliis significabat, scripsit. Vid: Euseb. III. 16. 21. Socr. I. 6. Theod. I. 10. Plurimi autem Arii Sectatores, veriti ne in exilium ejicerentur, Arii dogma damnarunt, & Concilii decretis assensi fuerunt. Eusebius Nic: etiam & Theognis, quibus exilium indictum erat, libellum pœnitentiæ offerentes, ac Concilii decretis subscribentes, Imperatoris mandato Ecclesiarum suarum administrationi sunt restituti. Socr. I. 5. 10. Ario tamen, pœnitentiam quoq; simulanti, ob turbas evitandas, ne Alexandriam accederet, interdictum fuit. vid. Socr. I. 10. Sozom. I. 20. Sicq; tandem omnes, quamvis veteratoriè, aliud scilicet clausum in pectore habentes, aliud ore proferentes, Concilii decretis subscripserunt Theodor. I. 8. vid. & de Arianorum subscriptione Gothofredus Diss. in Philostorgium lib. I. c. 9. p. 36. sqq. It. Baron. l. c. §. 76. 77.

§. X. Finitis illis, quæ ad Arium ejusque hæresin spectabant, de Paschatis celebrandi tempore actum est, cum ob ejus discrepantiam Ecclesiâ valdè turbaretur. Nam jam Seculo Secundo controversia de illô vehementer agitata fuit, dum Ecclesiæ Asiaticæ Judæorum ritum sequentes, die decimâ quartâ primi mensis pascha præcisè celebrabant, aliæ verò die sequente Dominicô festum illud agendum censebant, & Victor Pontifex Rom. Ecclesias Asiaticas, aliis tamen id improbantibus, excommunicabat; & licet illa
dissensio

dissensio non satis iusta causa esset cur Ecclesiæ adeo turbarentur;
 quæ sententia etiam *Socratis* l. 21. & *Nicephori* XII. 26. est, attamen
 discordia, quam temporis illa varietas pepererat, nō facile tolli po-
 tuit, cum utraq; pars suum ritum ab ipsis Apostolis deducebat, &
 ex Majorum traditione confirmabat. Vid *Euseb.* V. H. E. 22. sqq. III.
 de V. C. 5. *Socr.* V. 21. *It. D. Bebel. Antiquit. Eccl. Sec. II. art. II. §.*
 18. art. III. §. 68. Hanc Controversiam neq; Imperator per Osium
 componere poterat; in Concilio autem unanimiter statutum est,
 ut ab omnibus Christianis eodem die, nempe Dominicō proximē
 sequente Plenilunium primi mensis Pascha celebraretur, ne Ju-
 dæi, Christi Occisores & à DEO abjecti, gloriantur, Christianos
 necesse habere tempus Paschatis ab ipsis discere. Decretum hoc,
 ne Episcopi absentes in schismate remanerent, Imperator per lité-
 ras ad omnes Ecclesias publicavit, cujus verba vide ap. *Euseb.* III.
 17. *Socr.* l. 6. *Theod.* l. 10. videatur & Epist. Synodica ap. *Socr.* l. c.
Theod. l. 9. Sicq; discordia illa sublata & paritas observandi Pa-
 schatis eodem die introducta est *Euseb.* III. 13. Alexandrinis verò
 Episcopis à Synodo injunctum fuisse, ut, adhibitis sc. Viris calcu-
 landi peritissimis, diem celebrandum investigarent; probat *Bar.* l.
 c. §. 110. ex Epistolâ 64 Leonis M.

§. XI. Causa Meletiana quoq; in Synodō pertractata fuit.
 Meletiq; qui & Melitius dicitur, siquidem, Civitatis cujusdam in
 Egyptō Episcopus, à Petro Episcopo Alexandrinō, cū aliis de
 causis, tum quòd tempore persecutionis Idolis immolaverat, mu-
 nere Episcopatus abdicatus, illud agrè ferens, collectis Affeclis
 pluribus, Petrum, ejusq; Successores, Achillam & Alexandrum
 multis contumeliis & injuriis affecit, invitōq; Alexandrō Episco-
 pos & alios Ecclesiæ Ministros creans ac ordinans, Ecclesiam Dei
 turbavit *Socr.* l. 3. *Sozom.* l. 14. De illō igitur ob pacem Ecclesiæ
 clementius decretum, ut Episcopi nomen tantū retineret, pote-
 statem autem Ecclesiasticam non ampliùs exerceret: de Ordina-
 tis etiam ab illo Ecclesiæ Ministris, ut post confirmationem in of-
 ficiō permanerent, aliis verò ab Alexandrō ordinatis inferiores es-
 sent &c. Vid. Epist. Synodi ad Alex. Eccl. aliosq; ap. *Socr.* l. 6.
Theod. l. 9. in quâ & legitur quòd Populus Ecclesiæ Ministrum
 idoneum in locum demortui eligere, Episcopusq; Alexandrinus
 Populi electionem confirmare debeat. At Meletiani post Concili-

um, cum Arianis se conjungentes, Ecclesiam rursus perturbabant, ac Orthodoxos persequabantur. Vid. *Sozom.* II. 20.

§. XII. Novatianos porro Concilium communioni Catholicae restituere laboravit. Illi, ob puritatis & sanctimoniae arrogantiam & Cathari dicti, à Novato Carthaginensi Presbytero, ex invidia & superbiâ se à Cypriani communione separante, ortum traxerunt. Docebant verò, Lapsis post baptismum in peccata graviora ea non posse per Ecclesiae Ministrum remitti, ut certi esse possint de iis etiam apud Deum remisissis, talesq; ad mysteria non esse admittendos; hinc de misericordiâ DEI, justificatione, potestate Clavium, Ecclesiâ, errabant. Vid. *Euseb.* VII H.E. 7. *Socr.* IV. 23. VII. 25. *Epiph.* T. I. lib. 2. *her.* 59. *Philastrig* Catal. *Heres.* n. 81. Vid. & *Strauch.* de publicè Penitensium Ritibus §. 7. 8. *Bebel.* Antiquit. Eccl. sec. III. art. VI, §. 9. II. Improbabant & secundum matrimonium contrahentes, eosq; à SS. mysteriis arcebant *Theod.* lib. 3. *Heres. fab.* c. 5. *August.* c. 38. de *Heres.* quod & constat ex *Can. 8. Conc. Nic.* in quò, ut in Ecclesiam Catholicam recipiantur, jubentur profiteri, se communicaturos & his qui fortè secundas nuptias experti sunt, vel his qui persecutionis tempore lapsi sunt. Horum Episcopum Acesium, propter vitæ integritatem sibi charum, ut *Sozom.* II. 30. dicit, Constantinus concordiae constituendae causâ ad Concilium vocavit, illi decisionem de fide & decretum de tempore Paschatis proposuit, quærens num iis assentiretur, quod ille affirmavit dicens, nihil novi Concilium decrevisse aut statuisse &c. Rursus cum quæreret Imperator, quid causæ esset, cur se à communione segregasset, respondit: *Post Baptismum in peccatum ad mortem prolapsos non debere divinorum Mysteriorum fieri participes, sed ad penitentiam cohortandos & remissionis spem non à sacerdotibus, sed à DEO qui & potest & auctoritatem habet peccata remittendi, expectandam.* Ad quæ Imperator, *Erigito tibi,* inquit, *scalam Acesi & ad cælum solus ascendo.* Vid. *Socr.* I. 7. *Theod.* I. 21. quibus ille significavit, omnibus à lapsu in peccata metuendum esse, si ergo lapsis post baptismum venia sit deneganda, solum forsan Acesium, qui se. à lapsu securus erat, in cælum perventurum. Synodus verò, etsi Acesii duritiem satis videret, Novatianos tamen, ut ex *Can. 8.* constat, certis quibusdam sub conditionibus, si ad communionem Ecclesiae redire vellent, excipiendos esse statuit; eorum n. doctrina, quasi expi-

etatis


etatis zelo proficiscens, multos Episcopos, aliosq; Ecclesiæ Mini-
stros, Confessores ac integras Ecclesias Fautores nacta erat.

§. XIII. Cum in Concilio etiam pleriq; legem illam intro-
ducere volebant, ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi à Conjugi-
bus, quas, antequàm sacris initiati fuerant, duxissent, abstinerent,
adeoq; iis consuetudo conjugalis prohiberetur, Paphnutius, licet
conjugii expertus, &, ut *Socr. l. 9.* dicit, qui mulierem ne attigisset,
in mediò confessu surgens illi contradixit: *Non esse grave, iniqui-
cens, jugum cervicibus eorum, qui erant sacris initiati, imponendum:
honorabile esse conjugium inter omnes & thorum immaculatum:
videndum ne nimis exquisitâ prescriptione Ecclesiam gravi incom-
modò afficerent, omnes enim non posse ferre tam austeram discipli-
nam, tamq; ab omni perturbatione animi vacuam, neq; à singulo-
rum Uxoribus fortasse eam castimoniam normam posse servari. Viri au-
tem cum Uxore legitimâ concubitus castimoniam esse.* Sic ille Con-
jugium Clericorum defendit, cujus sententiâ Concilium approbavit,
deq; hac re nullâ legem tulit, sed eam in unig; cujusq; voluntate
non in necessitate poni voluit. Vid. *Socr. l. 8. Sozom. l. 22.* Habet
& hanc historiam *Gratianus Dist. 31. c. 12.* it. *Gelasius Cyzicenus c.*
53. It. Hist. Trip. ll. 14. Rejiciunt vero eam *Baron. A. C. 325. §. 150.*
sq. aliiq; Pontificii. quorum rationes hic excutere non licet. Vid.
B. Gerbard. T. VI. Loc. 26. §. 244. B. Kunad. Const. M. Evangel:
Thef. VII. §. 11.

§. XIV. Præter hæc Concilium Nicænum duorum generum
decreta edidit, *Diatyposes* nempe, quæ ad doctrinam fidei stabi-
liendam spectabant, de quibus vid. *Dorsch: ad Diatyp. Gelas. de*
S. Cena Sect. ll. §. 23. sq. it. Sect. III §. 1. & Canones, qui ad Ecce-
siasticam disciplinâ constituendam & emendandam pertinebant. r.
de horum numero disputatur; *Pisanus in Act. Conc. Nic. 80.* Ca-
nones ex Arabico in Latinum conversos offert; *Turrianus* etiam
80. profert, quos tamen spurios esse res ipsa docet. Vid. *Cocus*
Cens. Vet. p. m. 446. Baronius l. c. §. 158. sqq. Canones plures quâ
viginti fuisse dicit, variosq; producit, de quibus *Dorsch. l. c. Sect.*
ll. §. 13. sqq. Viginti verò Canones tantum Patres Concilii Nicæ-
ni condidisse, constat ex *Theod. l. 8.* qui dicit: *Episcopi rursus in*
Concilium convenientes de administratione Ecclesiastica Leges seu
Canones

Canones viginti conscripserunt. Plura testimonia vide ap: Cocum l. c. Hos verò Canones hic in medium proferre chartæ ratio non permittit. Vid. Tom. I. Concil. It. Caranæ Summa Concil. p. 63. sqq.

§. XV. Concilii hujus Decretis præter ceteros, de quibus supra, Chrysantum & Musonium mortuos subscripsisse Baron. l. c. §. 181. ipse non credit, cum tanta rei, ut idem dicit, nullum vestigium sit reperire apud Athanasium, Hilarium & alios, qui nihil plane reliquere intactum, quò insultantem Arianam heresin oppugnare potuissent, nec moris fuerit, fidem inter fideles miraculis velle probatam reddere, cui suffragarentur firmiores divina Scriptura sermones. Confirmavit autem illa Constantinus M. Sic enim Euseb. III. 20. Eorum sententia ipsius Imperatoris consensu fuit confirmata. Ee III. 22. Concilii decreta Imperator suo sigillo rata fecit. & IV. 27. Quæ ab Episcopis in Conventibus publicis editæ erant regulæ, suâ confirmabat & confirmabat auctoritate, ne reliquarum Gentium Principibus liceret, quæ ab eis decreta essent, abrogare. Eum etiam, qui Decretis Concilii contraveniret, utpote divinas decisiones labefactantem, edixit exilio multandum esse; Sozom. l. 16. Sicq; Concilio finitò, Imperator, de felici eventu sibi gratulans, omnes Episcopos regali convivio excepit, quod describit Euseb. III. 14. quò, magnò cum splendore, ad exitum perductò, omnes muneribus, prout dignitas cujusq; poposcit, donavit, Euseb. l. c. c. 15. Sozom. l. 24. eosq; placidâ oratione ad modestiam, humanitatem ac concordiam sectandam & conservandâ adhortatq; est, omnibusq; fecit potestatem ad sua domicilia revertendi. Euseb. III. 20. sq. Theod. I. II. Sozom. l. c. varias etiam literas, de quibus Socrat. l. 6. de actis in Concilio scripsit, Deoque gratias egit. Cui, pro Ecclesiæ & doctrinæ cælestis conservatione, defensione ac propagatione, aliisque infinitis nobis præstitis beneficiis, sit laus, honor & gloria immortalis ac sempiterna.



05 A 619 (1/2)

ULB Halle


3

003 761 762



SB

KD77



ORTUNANTE DEO!

DE

NCILIO CÆNO I.

TATIO HISTORICA
POSTERIOR.

Quam

ri ad Albim Academiâ

ico Eruditorum Examini

fistunt

PRÆSES

NOLDUS PASCHE,

Rostochiensis.

&

RESPONDENS


ES FRIDERICUS *Buxche/*

Budissa-Luf:

HORIS MATUT:

AUDIT. MINORI,

d. VIII. Septembris, Anno 1677.



WITTEBERGÆ,
ANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.